



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-575824-p0002-7

DFG

6.
DEO OPT. MAX. A.
DE
SEPTENARIO TE-
STIUM TESTAMENTARIO-
RUM NUMERO
LEMMA TETRACOLON.

809

1639,4

Ad excusione cap. 10. extr. de testam. pertinens.

Ex Annotationibus ad Paratitla Wesembecii privatis

VIRI

Amplissimi Consultissimi & Excellentissimi,

DN. JOANNIS OTTONIS TABORIS
J. U. D. EXIMII, ET IN ALMA ARGENTORATENSIMUM
Universitate Codicis & Juris Feudalis Professoris dignissimi,
Patroni Promotoris ac Præceptoris sui ju-
giter observandi:

*Præcipitata ob instantem abitum, opera excerptum, & sub ejus-
dem præsidio disputationi publicæ
expositum,*

à
WOLFGANGO THEODORICO BADERO,
Gemmingâ - Graigoio:

Die 16. Ianuar.


Horis locoque solitis.

•S(O)S•

ARGENTORATI
Typis JOHANNIS REPPIL

ANNO M. DC. XXXIX.





VIRIS
MAGNIFICENTIA NO-
NOBILITATE, AMPLITUDINE,
PRUDENTIA, CONSILIO ET EXPE-
rimenta Eminentissimis, Præcellentissimis,

DNN. PRÆTORI, CONSS. SCABI-
NIS, SCHOLARCHIS, CÆTERISQUE INCLYTÆ:
ac Liberæ Reipubl. Francofurtensis ad Mœnum Assesso-
ribus ac Senatoribus omnibus, Patriæ Pa-
tribus vigilantissimis:

N E C N O N

Viris Integerrimis, Experientissimis, Spectatissimis,
DNN. JOANNI & CORNELIO Petersen/ fratribus, Mer-
catoribus ac Civibus apud Mœno Francofurtenses primariis,
DN. HIERONYMO BADERO, Pharmacopœo Schwæin-
fortensi dignissimo:
DN. JOAN. BAPTISTÆ CÆSARI, Scholæ Gallicæ:
Rectori solertissimo.

DNN. Mecœnatibus, Patronis, Fautoribus, sui suorumque studio-
rum Promotoribus magnis, ut & respectivè agnato, ac
affini: humiliâ submissione, submissaq; hu-
militate devotè suspiciendis, æter-
num colendis.

Has studiorum suorum primitias
in ara benevolentia submissè mactat
V.V. Mag. Nob. Excell. Ampl. Clar.
Observantissimus.

Resp.

MXXX. 104. 11. 1799.

३८५
भूमि भूमि भूमि : भूमि
भूमि भूमि भूमि : भूमि भूमि

四

Ad Tit. I. Libri XXVIII. Parat. Wesembecii n. 10.

Q U Ä S T I O . I.

N septenarius iste testium in testamentis numerus sit de solennitate testamentorum substantiali, an de probatoria tantum? Vulgata equidem est hæc disceptatio, cuius pars prior jam dudum pluribus eruditorum calculis est confirmata. *v. allegatos P. Gregor. 42. syntagm. cap. 5. n. 5. Treutlero & Hunnio 2. disput. 10. th. 5. a. q. 27. Harpprecht. ad §. 3. I. de testam. ordin. n. 26. Bocer. cl. 3. disp. 2. th. 22. Berlich. p. 3. concl. 6. n. 6.* cui sententiæ etiam favet *Wesemb. noster h. n. 10. illis verbis: ad id propter solennitatem rogatis. Ne tamen aliquem moveat vel authoritas Alciati, vel disputatio hunc succollantis Bacchovii 2. disput. Treutl. 10. th. 5. a. p. 543.* vel media velut & mixta Gilkenii sententia in *l. hac consultissima. 21. num. 13. C. de testam.* (ubi quædam ad substantiam testamenti pertinere dicit, veluti potestatem à L. concessam; & voluntatem testatoris: *quædam ad formam*, ut heredis institutionem scriptam vel nuncupatam: alia *ad probationem*, ut depositiones testium, qui post mortem testatoris sigilla cognoscunt: Alia porrò *ad naturam & effectum testamenti*, ut adiunctionem, commoda & incommoda: alia *ad adjuncta*, ut legata, fideicomissa, dationes tutelarum. Denique numerum testium mixtam quandam naturam obtinere, utpote, quæ ad naturā non tantū probationis, sed etiam solennitatis necessaria sit. *l. ult. C. de fideicomm. l. si unus. C. de testam. l. carent. de testib.*) Ideò brevi strictaque refutatione hæc amolienda sunt dubia. Cum dubitatio-
nis solutio sive dubitationum refutatio (*dubitatorū hab. cons. Argent. part. 2. cons. 47.*) nihil aliud sit, quam veritatis sive inquisitio sive inventio, *ut ex Arist. Politus de offic. advoc. cap. 11. num. 10.* unde nostri-
tes etiam plerunque victoriæ vim in responsione ad contraria col-
locant, *Decian. in Apol. c. 19. n. 29.* ¶ Primū ergò Bachov. argumen-
tum ita concludere videtur (paulo enim obscuriora sunt singula.) Ubi cunque maximum falsitatis versatur periculum, ibi testes pro-
bationis potius, quam solennitatis causa instituti videntur; At isto
casu maximum falsitatis versatur periculum, siquidem de ejus vo-

R

JUN-

Ad tit. I. Libri XXVIII.

luntate probanda agitur, qui in rerum natura non est. Ergo. Alterum tale est: Quæ causa numeri hujus à legibus ipsis innuitur, ea præferenda est merito; Atqui leges ipsæ indicant causam introducendi hujus numeri fuisse probationis facultatem. l. 8. §. ult. ibi: ut nullum locum relinquant insidiis C. qui testam. fac. possunt. l. ult. ibi: ne quid falsitatis incurrat. C. de fideicommiss. Ergo. Ultimum argumentum ita videtur esse informandum: Qui finis generalis est omnium testium, ille etiam erit testamentariorum; Atqui probatio est finis omnium testiū. Ergo. Addi potest è Gothofr. ad l. ult. C. de fideicommiss. & quartum dubium. Quicunque numerus potest augeri vel minui, ille rei non est essentialis, sed accidentalis; At septenarius iste numerus statutis passim reperitur imminutus. Ergo est accidentalis, neque ad solennitatem testamentorum substantialem pertinet (ut Venetiis, Reiger. in not. ad Mynsing. .O. 20. Lucæ. Carptzov. part. 3. const. 4. defin. 41. n. 3. Tolosæ. ibi. 16. Nov. 16. Noribergæ Rittershus. in Novel. part. 6. cap. 1. num. 9. Viennæ Carptzov. Francofurti part. 4. reform. t. 1. §. 2. Brunopoli Braunschweig Stattrecht. tit. von Giffen in Testamenten §. ein Mann maa vergeben. &c.) Ergo est accidentalis, neq; ad solennitatem testamentorum substantialem pertinet. ¶ Ad priora duo argumenta respondeo
(1) Confundi finem rei introducendæ usumve rei introducet, cū qualitate ipsius rei à Legislatorę indita; siquidem non negatur testimoniū adhibitionem inducendam etiam fuisse probandæ ultimæ voluntatis causa, usumque testimoniū etiamnum esse in probanda testamentorum sinceritatē: sed hoc non pertinet ad rei qualitatē impugnandam; ita enim septem testes leges requirunt, ut hunc numerum jubeant testamentis esse solennem, hoc est, ita propriam & peculiarem. ut vel uno teste deficiente totum testamentum corruiat, l. 20. §. 8. ibi: eos qui propter solennia testamenti adhibeantur, ff. qui test. fac. pos. Id quod innuit ipse Imp. in d. l. ult. C. de fideicom. quando utramque causam conjungit, ibi: cùm enim res per testimoniū solennitatem ostenditur. Indicat enim testamentum legitimū non ostendi plenè per testes simpliciter, sed per testimoniū solennitatem. Confer. l. si veritus. 23. C. eod. ubi itidem significatur, non sufficere veritatem absque solennitate. l. si quis. 6. in pr. v. hoc tamen tuni virum est. ad L. Cornel. de fals. Potest etiam forte (2) responderi distinguendo inter finem internum & primum, atque externum & ultimum. In tertii argumenti majore neganda primò est consequentia, cùm te-

stes

tes testamentarii disertè solennitatis cauissa intervenirell. perhi-
beantur; Et different omnino testimonia simplicia & solennia.
Deinde concessimus & hoc, testium finem & causam verti in pro-
bando; sed negandum est unicum tantum istius adhibitionis esse
finem. per not. Wesemb. de pact. num. 8. Ad postremam rationem di-
stinguimus inter testamenta solennia & minus solennia, nam ut
summatim dicamus, cum Dn. D. Locamer. in reformat. disp. Treutler. de
testam. th. 4. & s. (Gilkenii enim distributio impingit varie) requisita
testamentorum solennium sunt partim intrinseca, partim extrinse-
ca. Intrinsecum & principale est heredis institutio (quæ ut recte
fieri possit, exhereditationem presupponit eorum, qui aliâ ipso ju-
re hereditatem adipiscerentur) Extrinseca consistunt partim in
solenni adhibitione testium, partim in ipso testationis actu &c. Alii di-
stinguunt inter formam voluntatis & solennitatis. vid. 1. Tom. conf.
Argent. 61. n. 59. & vice versa, inter testamentum imperfectum ra-
tione voluntatis & ratione solennitatis. vid. Clarum de testam. q. 9.

II. Q. Sed annon assertio ista cum jure divino
pugnabit, si dixerimus, numerum istum testium septena-
rium ita solennem & proprium esse testamentis, ut eo o-
missos sit testamentum ipso jure nullum? Ita statuere vide-
tur plerisque omnibus Pontifex in cap. 10. & 11 X. testam. etiam pon-
tificis Doctoribus, eundem partim defendantibus. vid. Panormit. in
d c. 10. vers. an quod sufficiat. ibi: nam leges requirentes septem testes in
testamentis, sunt tam contra ius divinum, quam contra generalem Ecclesiæ
consuetudinem. Vivian. in ration. ad d. cap. 10 in fin. partim impugnan-
tibus. Conan. 9. com. 2. ubi addit Pontificem adiecisse parochum ut sacrifici-
colis aditus pateret ad privatorū fortunas; quibusipsis ferè verbi Pontificē
perstringit. Bodin. 5. de republ. c. 2. p. 531. Conani laudat & imitatur
Duarenus in comment. ff. qui test. fac. poss. t. de effect. solen. servat. in testam.
p. m. 332. ibi: ait Pontifex, quod statutum est legibus civilibus contrarium
esse juri divino: sed in ea re ostendit, quam peritus fuerit juris divini: quod
n. allegat ex jure divino, nihil ad rem facit. Hosq; antesignanos Jcti non
pontificii communio ore voceq; sequuntur, adducit ab A. Gerhar. disp.
testam. 2. th. 57. & 58. Rittershus. 4. different. c. 1. C. I. A. de testam. th. ult.
(quæ ita exprimenda fuerat: nec obstat sanctorum literarum authori-
tas, quia eae loquuntur de causis inter vivos controversis, sive de his, quæ or-
tae sunt ex negotio inter vivos convarcio &c.) & qui horum argumenta

Ad tit. I. Libri XXVIII.

ita congesit, ut sibi ea solita præsumtione ceu primo vindicaverit Mæstert.
lib. 1. de Iustit. Roman. leg. c. 13. n. 2. obiiciēs Pontifici quod is peccet in
jus proprium, cum &c in hoc capite præter duos testes, parochum;
& in aliis causis longè plures requirat. can. presul. & can. nullam. 2.
q. 4. ¶ Tentabimus pro salvandis Canonibus, nec pontificē quidem
hoc sensisse quod ipsi imponitur: Probabimus id (1) ex verborum
proprietate; Longè enim diversa sunt, aliquid contra L. & alienū
à lege divina; hoc est ultra vel præter eam dicere: Vox enim alieni
denotat id quod proprium non est, extraneum, non suum. l. 97. de
solut. l. 5. C. de furt. l. 1. §. in propria ff. quād. appelland. Et vel ex opposi-
ta formula (non alienum est) patet hanc verborum figuram longè
mitiorem & humaniorem esse. Tum (2) Elenchi ignorationem
committi dicemus in interpretatione contraria: non enim Ponti-
fex tam ipsum numerum testium legi divinæ opponit, quam duri-
tiem illam legum humanarum, quæ propter omissam vel unius te-
stis solennitatem, plane reiicit sani alioquin hominis enixam vo-
luntatē. (quod jam olim absurdū videbatur illi Lucio Titio in l. pen.
in f. ff. leg. 2.) Ita enim habent verba cap. 10. quod penitus rescindan-
tur ea testamenta &c. id vero à Divina lege, à SS. patrum institutis, & à
Generali Ecclesiæ consuetudine noscitur esse alienum. (3) Commonstrat
hanc sententiam, tum decidendi ratio, quam pontifex magis in veri-
tate quam in solennitate reponit, tum ipsa Decisio: quæ jubet testa-
menta coram minore numero testium perfecta firma permanere:
tum prohibito subiecta, ne quis hujusmodi testamenta audeat re-
scindere. Igitur in summa hoc dicere videtur pontifex: Quæ
sententia à L. Divina, à SS. Patrum institutis ac à generali consue-
tudine Ecclesiæ aliena est, ea judicibus Ecclesiæ, (de his enim tantum
hoc & sequenti capite agitur) non est observanda. Atqui ea consue-
tudo, ut testamenta penitus rescindantur quæ 7. testium solenni-
tate deficiuntur est aliena à jure divino; quia illud veritatem (quam
simplicitas Canonum & fori Ecclesiastici in primis spectat) in duorum
etiam ore subsistere docet; nec ampliorem numerum aut Decreta
patrum aut consuetudo Ecclesiæ in hoc articulo instituit. Ergo
ferendum non est ut testamenta in iudicio Ecclesiastico rescindan-
tur ex causa extranea, non propria, & ad Ecclesiasticos judices non
pertinente: sed magis convenienter judicibus Ecclesiasticis, ut in suo
foro decident causas juxta illud Dominicum, in ore duorum vel
trium. text. est in cap. in literis. 24. extr. de testib. Quin ipsa adversaria
ratio confirmat (4) hanc opinionem nostram, quod Pontifex non
tam

tam numeri septenarii solennitatem, quam consequens illud, alienum à lege divina statuerit: nam qui maximè id agit, ne alienum quid à lege divina statuisse videatur, non admissurus fuisset vel in aliis actibus, ulteriorem numerum, si eundem contrarium legi divinæ judicasset. d.c. 24. Denique (s)alia quælibet interpretatio potius recipienda est, præ ea, ex qua absurditas manifesta resultaret. c. cum pediat. 29. de Elect. in 6. l. ubi repugnantia. de reg. jur. Atqui confessio ne adversariorum absurdum est ulteriore supra binarium numerum L. divinæ contrarium dicere, & ipsummet eodem capite recipere. Concludimus ergo septenarium numerum testium, non esse contra ius Divinum, ne Pontificis quidem sententia:

Q. III. Utrum ergo testamentum, coram minore testium numero consecutum, heredem saltem in conscientia ita obligabit, ut testamentum ejusmodi imperfectum ratione solennitatis servare teneatur? Ita iā olim pronunciarūt ii imprimis Canonistæ & Dd. Pontificii, qui q. i. neg. & vel invito Pontifice hanc hypothesin receperant (*septenarium numerum testium esse contra ius divinum*) ideoque heredem ex hac causa impugnantem testamentum peccare mortaliter, maximè postquam pontifex sub anathemate interdixit, ne quis ejusmodi rescindere audiat testamenta: Ita Panormitanus in d.c. 10. vers. 9. Alii cum hancce in terris Imperii & cæterorum PP. non æque valitaram perspicere, alias rationes attulere, quas cum authoribus suis licet videre apud Manticam. lib. 4. de conject. ult. volunt. tit. 14. Castrens. Sichard. & Dd. ad l. 5. C. de religios. Molinam tr. de just. & jur. tom. 1. disput. 87. vers. quod si haec fuit. Lessium lib. 2. de testam. cap. 19. dub. 3. nu. 21. qui addunt heredem posse in foro externo compelli ad jurandum ac redat hanc fuisse mentem testatoris, quod si fateatur talē fuisse testatoris voluntatem, cogendum esse, non ex vi testamenti; sed ex vi propriæ confessionis hereditatem vel legata restituere juxta testatoris voluntatem: arg. L. ult. C de fideicomiss. Quos non bene per pensa hujus dogmatis origine, è recentioribus quam plures incauti vestigiis secuti sunt, v. Carol. Caesar. vol. 5. disput. Basil. 34. quest. ac quod mirere, ipse subtilissimus Bachov. 2. disp. o. th. . a. p. 543. quorum aliqui etiam haec remedia suggérunt, pro conservatione testatorum talium, ut scilicet vel ab ipso principe penes quem omnis juris authoritas est, super ejusmodi casu auxiliū queratur:

arg.

Ad tit. I. Libri XXVIII.

arg. l. ult. de hered. inst. vel in fideicommissi modum restitutio petatur. Exemplo l. 77. §. filius. l. 23. & 88. §. ultim. de leg. 2. ¶ Cæterum quia admissa hac sententia futurum esset, ut facile subverterentur omnes testamentorum solennitates, tot vigiliis excogitatæ. contra l. si quando. 35. C. de inoff. testam. & ex calido quodam & pœnitentia sæpe correcto testantium fervore heredes naturales privarentur legitima successione; ideo experiamur, an non à iuris istud πολυ-
θραντον, de veritatis ponte possimus delicere, sola in præsens peda-
mentorum labefactione. Ad palmarium utique argumentum
ex l. 2. ibi: ex conscientia. C. de fideicommissis, petitum responsio para-
ta est, (1) committi eo fallaciam causæ, non enim obligatur illo ca-
su heres ex sola voluntate defuncti minus solenni, sed ex suo assen-
su & agnitione. fac. l. 16. ibi: si sua sponte agnoverit. C. de testament.
idemq; evidenter præsupponunt verba. l. 2. ibi: si heredes comperta volun-
tate defuncti præstiterunt &c. conf. Harprecht. ad §. 3. Instit. de testament.
n. 29. Porro (2) ad l. ult. C. eod. & text. similes respondemus: si de
fideicommisso constet, vel queratur, alium constitui controversiæ
statum, cum fideicommissa etiam sine solennitate septem testium
relinqui posse in confessio sit. v. l. 127. ff. de leg. 1. l. 11. §. 22. de legat. 2. l.
34. §. 1 v. Modestinus. eod. l. 11. §. 22. de legat. 3. l. 33. §. 2. ff. eod. Reliqua
Bachovii & Lessij argum. (3) fere omnia nituntur falsa hypothesi,
quod heres jure naturali obligetur, itemque jure Gentium, ut vo-
luntati defuncti vel minus solenni satisfaciat. Unde protenus eadē
concludendi velocitate inferunt, eund in conscientia etiā obliga-
ri. Respondemus (1) cum per testamenta talia bona ut plurimum
legitimis heredibus eripiantur: apparet vel ipsum hoc esse contra
juris naturalis ordinem. Deinde cum charitas naturalis incipiat
ab ipso herede, consequens est, nec testatorem contra jus naturale
faciente juvandum esse juris naturalis obtentu: Nec heredem con-
tra ordinem juris naturalis cogendum, ut bona à Deo & natura si-
bi destinata alii sua manu offerat, liberalitate in necessitatibus pro-
priis naturaliter culpabili. Haud quaquā v. (4) obligationē insi-
cere ei cōtra hæc munimēta potest, nuda testatoris volūtas, ob. §. 40.
I. de R. D. quippe cū testator conferat dispositionem in id tēpus, quo
rerum Dominus amplius non est futurus. Nov. 22. cap. 20 l. 20. C. de
legat. Exemplis rem in ipsa disputatione declarabimus: Denique
non ex quolibet jure naturali, quod etiam alia ratione ejusdem
juris impugnatur, obligatur conscientia, cum fundamentum re-
ctæ cōscientiæ proprium sit jus divinum seu verbum Dei. Balduin.
lib. 1.

lib. 1. de casib. conscient. cap. 6. p. 13. Lex autem naturalis non æque, quippe quæ post lapsum languida & imperfecta est, id. ibid. maximè si sibi non constet, ut hoc casu. Minimè verò omnium urget l.s. C. de religios. & sumpt. fun. quam pro hac sententia perperam inducit & explicat Sichard. (de generali abolitione criminum, constitutione aliquæ principis post reditum facta) ibid. n. 2. Sententia enim legis hæc est: Miles in testamento (quod hic intelligendum est militare, cum dicatur militis voluntas & miles decessisse) patri & matri iniunxerat, ut sibi monumentum erigerent: parentes id facere neglexerunt: Querelam ea de re movit commilito defuncti ap. Imp. Alexandrum: Excepterunt parentes se invitatos non teneri ad monumenti extructio- nem, cum superioribus ipsius Alexandri Imp. Constitutionibus & rescriptis amota sit delatio, hoc est, illa delationis species & causa, ut hereditas ejusmodi successoribus tanquam indignis afferatur. l.s. C. de his quibus. Hanc controversiam dirimit Imp. Alexand. interpre- tatione rescriptorum suorum, edicens nequaquam ideo parentes hereditatem capessentes à necessitate implendæ voluntatis defun-cti liberari; quia si maximè immunitatem à pœna amittendæ he-reditatis præscriptione concessa impetraverint, non tamen securi sint futuri vel ab invidia necessariorum, qui ad implendam defun-cti voluntatem eos implorato magistratus auxilio coacturi sint, l.s. quis sepulchrum. 12. §. 4. 5. 6. de relig. & sumt. fun. vel hominibus omni- bus tacentibus, ne sic quidem à mortu consientiæ propriæ liberi- sint futuri, quod contra pietatem, defuncti voluntatem honestam contempserint. l. 14. §. 6. d. t. &c. Quid autem hoc ad voluntatem pagani minus solennem, & ab officio pietatis plerunque aversam. Plura non licet, cum paucissimarum horarum angustius hæc elaboratio circumscripta sit. ¶ Plane in testamento ad pias causas vel inter liberos suadendum erit heredibus ut voluntati, vel minus solenni, si nimium non graventur, obtemperent. per not. Treutl. 2. disput. 10. ch. 5. lit. A. & 6. lit. A.

Q. IV. An notarius computari possit in septem illis testibus? Ut nimis faciles sunt in relaxandis testamentorum solennibus Dd. superioribus thesibus notati: ita nimis rigidus appa- ret, cum hanc questionem negativè definit Wesemb. h. num. 10. ibi: præter & supra notarium: rationem adiicit in Comment. Instit. ad §. sed cum. 3. ad verb. numerus. de testam. ordin. quemadmodum olim (inquit) Adeund. n. 10. ponde-

Ad tit. I. Libri XXVIII.

55
ponderator non poterat esse testis, cum non ad testificandum sed ad pondere-
randum adhiberetur: ita nec hodie quando testamentum in scriptu fit, &
de actu per instrumentum confiendo probandoq; agitur, Notarius ut te-
stis poterit adhiberi: licet postea testamento jam condito, quando ex ipso, ut
qui praesens fuerit, testimonii fides super re gesta queritur, in numero te-
stium posse examinari: Aliam rationem superingerit in §. sed neque b.
lit. a. inst. eod. quia non possit idem esse & authentis ans instrumentum &
testis, auth. de instrum. caut. & fide (forte capitulo 5. nam & hoc gl. obii-
cit loco mox notando.) ¶ Affirmantium tamen opinio communi-
ter est recepta, vid. Monticellum de S. Bobio in repert. testium rubric. te-
stis in testamento. vocab. Notarius, itemq; scriptor testamenti p. m. 338. Bo-
tier. cl. 3. disput. th. 22. lit. A. C. I. A. de testam. th. ult. n. 6. ibi: annumerato
tamen Notario. Volckmar. part. i. art. Notariat cap. 44. n. 15. ibi: zu einem
Testamento solenni inscriptis gehören sieben Zeugen/ darunter der No-
tarious mit gerechnet wird. Eaque sententia confirmata est Constit.
Imperii. Colon. Anno 1512. tit. von Testamenten/ §. vnd sollen. & usu-
servatur: solent enim hunc in modum concipi testatorū clau-
sulæ, so geschehen in bessein vnd persöhnlicher gegenwärtigkeit/ pri-
mi 2. 3. 4. 5. 6. vnd mein des Notarii, als alter gezeugen hierzu inson-
derheit erfordert/ gernissen vnd gebeten: Quin & ita in similibus
terminis mortis causæ donationis decidi, post Passag. Tuscum & alios
testatur Berlich. 3. concl. 2. n. 18. Carpzovius Iurisprud. Forens. Saxon.
part. 3. const. 1. def. 32. ¶ Et sane jam olim hanc dubitationem stul-
tam esse judicavit JCtus. in l. 27. de testam. ubi gloss. in verbo adhibitus,
plusquam ridiculum pronuncians dubitare an aliquis testis jure:
adhibeat, quoniam idem & tabulas testamenti scripsit. ¶ Ne-
que obstat argumentum Wesembecii prius: Non enim infrequens
est, ut una eademque persona, geminum munus sustineat, maximè
si id ad eundem finem tendat: Neque persona aliqua publica, sed
civis simplex in locum veteris libripendis vocatus fuit, vid. Hilliger.
6. Donell. Encl. 7. f. Bachov. d. th. 5. lit. A. p. 541. Ceterum Nov. 37. ma-
gis contra Wesembecium, quam pro ipso facit, præcipue verò in c. 8.
ibi: inter quos erit & qui scribit: Utique in testamento mystico, si te-
stator scribere nesciat, octavum subscriptentem requiri vel largiri
possumus: propter. l. 21. C. de testam. nam & hoc pacto confirmatur,
regula in casibus non exceptis. conf. l. cum antiquitas. 28. C. eod. P. Gre-
gor. 41. syntagm. 4. vel existimare eum etiam qui in testamento sub-
scribit, testem etiam videri, prout in casu & exceptione altera quæ
est

Parat. Wesemb. n. 10.

est in testamento cæci clarè appellatur; l. 8. vers. at cum illis verbis: ubi tabularius reperiri nō posse octavum adhiberi testem. C. eod. Ideoq; tūm ubi septem tantum testes requiruntur (ut regulariter) ipsum etiam scriptorem in numero testium deputari, nihil vetabit. ¶ Sane si vel ad hunc casum vel etiam ad eventum testimonii in foro contentioso de fide instrumenti author respexerit, & imprimis si de fide scripturæ disputetur, concedimus iterum Notarium sibi ipsi testem esse vix posse, neque enim de actu scribendi seu scriptionis, sed de actu testandi seu adhibitionis in testem, loquimur. vid. post. Vasq. Gerhard. d. disp. 2. de testam. th. 38. Conf. Menoch. de arbitrar. judic. quest. n. 105. Althusium 1. Dicæolog. 51. num. 6. Forsitan & hoc sensu excusari author potest; quod non tam ad formam actus testandi, quād ad omnem eventum probationis futuræ respexerit. Quia si eventum fortuitum ulterius consideremus, utique & alia ratione suadenda videtur testantibus, supernumerarii testis adhibitio: Nam ut Volckmarus. d. c. 44. num. 16. ait: Dieweil sich oft der Zeugen wegen strittigkeiten erregen / soll man lieber einen oder zween Zeugen vber die gewöhnliche zahl nemmen/damit hernacher weniger zu difficultiren sein möge. Quod etiam monetur in Constit. Colon. sub rubric. von Testamenten. §. die Notarien. qui è d. l. 21. C. d. t. ibi: cōsignatam vel ligatam petitus est. C. I. A. de testamentis th. 14. (ubirecte annotatur vers. seq. perperam expressum esse in edit. novissima: Non quidem quod ut ibid. suggeritur legendum sit: Ein schriff die bezeuchnet; sed ut hoc sensu intelligatur primogenia phrasis, quæ in primo exemplari his verbis concepta est, der so ein Testament machen will / eine schriff bezeichnen / (pro bezeuchnet) oder verbunden. &c. Sed indulsimus. satis calamo præcipitato ac ferè extemporali, cui non nisi unius quaternionis meta ab initio erat. determinata.

Præstan-

+58
Præstantissimo Domino Respondenti
Wolffgango Theodorico Badero.

TESTAMENTORUM TESTES BADERE revelas,
Perq; theses paucas dicere multa vales.
Dogma tuum verum solido contexere ritu
Niteris, egregius serviet ingenii:
Ioya tibi vitam viresq; perennet, amice,
Te jubeat studiis Iustitiaq; frui.

Benevoli affectus contestandi
causa adjecit

Fridericus Deckherr, J.U. Cand.



ULB Halle
005 714 745


3



bdz



Farbkarte #13



6.
DEO OPT. MAX. A.
DE

SEPTENARIO TESTIUM TESTAMENTARIO-RUM NUMERO

LEMMA TETRACOLON.

Ad excusione cap. 10. extr. de testam. pertinens.

Ex Annotationibus ad Paratitla Wesembecii privatis

VIRI

Amplissimi Consultissimi & Excellentissimi,

DN. JOANNIS OTTONIS TABORIS
J.U. D. EXIMII, ET IN ALMA ARGENTORATENSIO
Universitate Codicis & Juris Feudalis Professoris dignissimi,
Patroni Promotoris ac Præceptoris sui ju-
giter observandi:

*Præcipitata ob instantem abitum, opera excerptum, & sub ejus-
dem præsidio disputationi publicæ
expositum,*

à
WOLFGANGO THEODORICO BADERO,
Gemmingâ-Graigoio:

Die 16. Ianuar.

Horis locoque solitis.

•S(O)S•

ARGENTORATI

Typis JOHANNIS REPPIL

ANNO M. DC. XXXIX.

809

9

1639,4